Quelle: http://manuscripta.at/?ID=26003
Copyright: Admont, Benediktinerstift

sanguinem meum, eo uidelicet modo quatinus intrinsecus suum corde credendo ad iustitiam, et ore manducando ac bibendo ad salutem, hic in me manet et ego in eo, ita ut iam non sint duo, sed una caro. Manducare namque et bibere causa efficiens est, effectum autem ut in me maneat et ego in eo. De illo qui manducat et bibit indigne, iudicium sibi manducat et bibit. Non nemo indigne manducare potest, sed nemo indigne manducare debet. Panis namque semel consecratus numquam postea uirtutem sanctificationis amittit, aut caro Christi esse desinit, sed non prodest cuicumque indigno cuius fides sine operibus mortua est, et idcirco spiritum qui uiuificat non habet quem ore percipiat. Sicut enim uocem significatiuam equaliter aure percipere, sed non equaliter uirtutem significationis eius capere aut sentire possunt homo rationalis et canis irrationalis, quia canis et si habeat auditum ad percipiendum sonum, tamen non habet sensum quo uirtutem significationis capiat, sic et corpus domini boni et falsi christiani equaliter ore percipiunt, sed quoniam falsis christianis uere antichristi membris deest fidei sensus quo solo percipitur uiuificans in corpore Christi spiritus, plus habet dignus ab indigno, quia hic in corpore Christi spiritum uiuificantem, ille accipit solam sententiam iudicialem. Nunc ad ordinem ceptum sermo reuertatur, et cum ueritate presentis euangelice lectionis escam potumque dominici corporis et sanguinis uti ceptum est, perscrutando manducemus, manducando pertractemus.

Amen amen inquit dico uobis: non Moyses dedit uobis panem de celo, sed pater meus dat uobis panem de celo uerum. Quare Moyses dare non potuit? Vere enim nec dedit nec dare potuit panem de celo uerum. Si quidem illum qualemcumque panem quem patres nostri in deserto manducauerunt, panem utique uel cibum periturum et cottidie pereuntem, non ipse aliis dedit, sed cum aliis ab eodem deo accepit, qui dat escam omni carni. Quare ergo uerum panem de quo loquitur Moyses dare non potuit? SEQUITUR.
55 Panis enim dei est qui de celo descendit et dat UITAM MUNDO.

Vera et firma ratio, plane comprobans quod uere panis hic Moyse maior sit, nec ab illo dari potuerit, sufficiensque ad demonstrandam panis eiusdem substantiam diffinitio tibi perfecta inseritur, uidelicet quod dei sit, quod de celo descendit, quod uitam det mundo. Si dixisset panis enim dei est nec plus addidisset, non illum a communi pane discreuisset, nam et omnis panis quem terra profert dei donum est, dei creatura est. Terra enim domini est et plenitudo eius. Addidit ergo qui descendit de celo. Sed et si non plus adiecisset, necdum satis istum panem diffinisset. Nam et iudei cum dixissent patres nostri manducauerunt manna in deserto, protinus adiecerunt: Sicut scriptum est, panem de celo dedit eis manducare. Et quidem illum panem pluit dominus de celo, non tamen ethereo, sed de celo aereo, per quod uolantes aues uolucres celi dicere solemus. Et uerbo quoque descendit, quod hic positum est, de illo pane dictum est, quia cum descenderet ros mane super castra, descendebat pariter et man. Adiecit ergo tertiam panis huius differentiam, que non sinat illum communem intelligi cum pane aliquo, dicens: et dat uitam mundo. Quod uitam dat et non uni genti, sed uniuerso mundo uitam dat, hoc maxime pondus preciumque panis huius commendat et singularitatem demonstrat. Quid enim est uitam dat? Nisi mortuos uiuificat. Hoc certe manna non magis facere potuit, quam panis ille quem singulis annis terra profert seminanti. Nec enim panis ille uel aque